



**I**ohannes ex illustri baronum de Haydeck fami-  
 lia natus, omnis generis uirtutibus à pueris insti-  
 tutus fuit. Erat etiam corpore robusto & rara pru-  
 dentia insignis. Itaque Cæsaris castra secutus, ma-  
 gnæ rei bellicæ peritiam nactus est. Hinc postea  
 factum, cum anno 1546 bellum Germanicum ori-  
 retur, ut Huldrici principis Wuirtembergici co-  
 pijs, ad uiginti quatuor signa peditum, præficeret-  
 tur. Cum autem res sibi commissas gnauiter expe-  
 diret, atq; principum dissidio Smalkaldicorum co-  
 piæ dissoluerentur, ipse quoq; Iohannem Frideri-  
 cum Saxonem comitatus in Saxoniam abiit, atq;  
 se cum suis militibus Bremensibus coniunxit. Eo  
 tempore in ijs locis Ericus Brunswicensis dux Cæsaris nomine bellum gere-  
 bat. Cum Ioannes in eum cum socijs incidisset, pugnatum est acriter in ipsam  
 usq; noctem, & Ericus tandem profligatus, ac in Visurgum flumen cum equi-  
 tatu compulsus, multis suorum desideratis, ipse tamen tormentis omnibus a-  
 missis euasit incolumis. Verùm in alio loco Saxo à Cæsare captus, & pax inita  
 fuit. Id cum Hedecus intellexisset, suas copias dimisit, & Basileam cum fami-  
 lia ad tempus diuertit, præsertim cum in Augustanis comitijs anno 1548 à Ca-  
 rolo proscriberetur.